Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

quoddam iustum non est malum. quoddam igitur honestum non est
malum. Has formulas cathegoricorum syllogis-
morum qui plene nosse desiderat librum le-
gat qui inscribitur periermenias apulei. et que
subtilius tractata sunt agnoscet. Distincta enim atque
considerata ad magnas intelligentie vias lec-
torem prestante domino utiliter introducunt.
Nunc ad ypoteticos syllogismos ordine
sequenti veniamus. De modis syllogismorum
ypotheticorum. XXVIIII.

Modi syllogismorum
ypoteticorum qui fiunt cum aliqua conclu-
sione sunt septem. Primus modus est. si dies est
lucet. est autem dies. lucet igitur. Secundus modus est.
si dies est lucet. non lucet. non est igitur dies. Tercius
modus est ita. non et dies est et non lucet. atqui dies
est. lucet igitur. Quartus modus est ita. aut dies est aut
nox. atqui dies est. nox igitur non est. Quintus modus
est ita. aut dies est aut nox. atqui nox non est.
dies igitur est. Sextus modus est ita. et dies est et non
lucet. dies autem est. nox igitur non est. Septimus modus
est ita. non dies et nox. atqui nox non est. dies igitur est.
Modos autem ypoteticorum syllogismorum si quis
plenius nosse desiderat librum legat marii
victorini qui inscribitur de syllogismis ypo-
teticis. Hinc ad dialecticas definitio-
num species accedamus. que tanta digni-
tate precellunt ut possint indiciorum apri-
re manifesta ...ciones et quedam indi-
cia dictionum ostendere. libro adbreviatus
de divisione diffinitionum ex marii victorini.

XXX. Definicio est philosophorum que in
rebus expressis explicat quid res ip-
sa sit. qualis sit. et quemadmodum membris
suis constare debeat. Est enim oratio brevis
uniuscuiusque rei naturam a communione di-
visam propria significatione concludens. Di-
visio diffinitionum in partes quindecim
habetur. Prima species est diffinitionis usi-
odis. id est substantialis. que proprie et vere dicitur diffini-
cio. ut est homo animal rationale mortale.
sensus disciplineque capax. Hec enim diffi-
nicio per species et differentias descendens
venit ad proprium et designat plenissime
quid sit homo. Secunda species diffinitionis est
que grece ennoematice dicitur. latine notio nun-
cupatur. Quam notionem communi non proprio nomine
possumus dicere. Hec isto modo semper efficitur. homo
est quod rationali conceptione exercicio preest ani-
malibus cunctis. Non enim dixit quid est homo. sed quid
agat. quasi quodam signo in noticiam devocato.
Ista enim et reliquis noticia rei profertur. non substantialis
explicatio declaratur. et quia illa substantialis est de-
finitionum omnium optinet principatum. Tercia species
definitionis est. que grece ypothes dicitur. latine
qualitativa vocatur. quia ex qualitate nomen accepit.
pro eo quod quid quale sit. id quod sit evidenter osten-
dit. cuius exemplum tale est. homo est qui in-
genio valet. artibus pollet. et cognitione re-
rum. aut quod agere debet eligit. aut animadversi-
one quod inutile sit contempnit. His enim quali-
tatibus expressus ac definitus homo est. Quarta species est
diffinitionis. que grece yparagraficen. la-
tine a tullio descriptio nominatur. que adhibi-
ta circuicione dictorum factorumque rem que
sit descriptione declarat. Queritur enim quid
avarus sit. quid crudelis. quid luxuriosus.
et universa luxuriosi et avari et crudelis na-
tura describitur. ut si luxuriosum voluerimus
diffinire dicimus. Luxuriosus est victus non ne-
cessarii sed sumptuosi et honores appetens.
in deliciis affluens. in libidine promptus.
Per hec et alia diffinivit luxuriosum sed per de-
scriptionem definivit. Que species definiti-
onis oratoribus magis apta est quam dialec-
ticis. quia latitudines habet. que similitudo
in bonis rebus ponitur et in malis. Quinta species
est diffinitionis quam grece catantelexin
latine ad verbum dicimus. Hec vocem illam